



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus  
voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. II. Præcluditur aditus evasionibus adversariorum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

sicut nunc ponitur ab ejus defensoribus. Nam A  
D. Augustinus, ut testatur D. Thomas fidelissimus ejus Discipulus, reprobavit cap. 9. libri de bono perseverantiae, quod dixerat in libro de sex quaest. Paganorum, nimirum quod *Christus tunc voluit hominibus apparere, quando, & ubi sciebat, qui in eum fuerant credituri*. Quibus verbis praescientiam hujus futuri conditionati, si *Christus apud homines praediceret, credent*, à decreto independentem, admisisse videbatur; ut ipsi objiciebant Semipelagiani, sicut testatur Hilarius in Epistola ad Augustinum. Sed D. Augustinus cap. 9. libri de bono perseverantiae, non reprobavit praescientiam illam à decreto independentem, quantum ad abusum, & modum illum erroneum quod ponebatur à Semipelagianis: Ergo reprobavit illam quantum ad substantiam ipsam, & sicut nunc ponitur ab ejus defensoribus. Major est D. Thomae loco citato, Minor verò probatur. D. Augustinus cap. 9. libri de bono perseverantiae, solum reprobavit praescientiam illam à decreto independentem, eo modo quo illam tradiderat in libro de sex quaestionibus Paganorum: Sed in hoc libro eam non expresserat, cum in eo abusu, & modo erroneo, quo ponebatur à Semipelagianis: ibi enim non dixerat, quod fides praevisa, & praecognita à Deo, esset principium & motivum nostrae justificationis; & quod ejus intuitu Deus daret primam gratiam, & vocationem; imò nec leviter illud ibidem insinuaverat, sed ut ipse dicit in libro de praedestinatione Sanctorum cap. 9. solum ibi omiserat disputare, an illi qui praesciebantur credituri, à seipsis, vel Deo donante, habituri essent fidem: id est, ut ipsemet exponit, *An Deus tantum eos praescierit, vel etiam praedestinaverit credituros?* Ergo si cap. 9. libri de bono perseverantiae, reprobatalem praescientiam à decreto independentem, ut testatur Divus Thomas loco citato, eam reprobat quantum ad substantiam, & non solum quantum ad abusum, & modum erroneum, quo ponebatur à Semipelagianis.

28. Quartò probatur conclusio, ex eodem libro de bono perseverantiae, in quo S. Augustinus respondens D. Prospero, & suam mentem, & doctrinam exponens, circa quaestionem, de qua illum in sua Epistola interrogaverat, *An scilicet ea quae sunt à Deo praescita, sint etiam ab eo praedestinata: ita ut praescientia sit subnexa decreto, vel è contra decretum praescientiae tradit duas regulas generales, ex quibus apertissime sequitur destructio scientiae mediae. Prima habetur cap. 17. ubi Augustinus loquens de bonis operibus, quae Semipelagiani fatebantur esse à gratia Dei adjuvante, aut cooperante; non tamen preparante & praoperante, ut supra vidimus ex D. Prospero; sic loquitur, & discurret. *An forte nec ipsa dicuntur praedestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse praesciunt. Quid si & dantur, & ea se daturum esse praesciunt, profecto praedestinavit*. Ex quibus verbis Augustini, deo possunt erui efficacissima argumenta contra scientiam mediam.*

29. Primum est: Quidquid Deus donat & causat, etiam praedestinat & praedestinatur: Sed Deus donat & causat liberam consentiam, quo homo v. g. consentit primae vocationi ad fidem: Ergo illum praedestinat & praedestinatur, ac proinde non cognoscit ut futurum per scientiam mediam, antecedenter ad suam praedestinationem & decretum. Minor est certa de fide, Major autem est D. Augustini loco citato, ubi loquens de bo-

nis operibus à Deo praevisis, sic discurret: *An forte nec ipsa dicuntur praedestinata: Ergo nec dantur à Deo*. Quibus verbis clarissime docet, omnia quae sunt à Deo data, & causata, esse etiam ab illo praedestinata, seu praedestinata: unde, ut supra vidimus, cap. 9. de praedest. Sanctorum, pro eodem usurpat, & quasi terminos aequivalentes accipit, habere aliquid à Deo donante, & illud habere à Deo praedestinate.

Secundum argumentum potest sic formati:  
B Ex Augustino, ea quae dantur à Deo, & quae se daturum esse praesciunt, profecto praedestinavit: Ergo nulla datur praescientia, saltem respectu eorum quae sunt, & donantur à Deo, id est respectu bonorum, quae non sit fundata in decreto, & praedestinatione voluntatis divinae. Consequentia patet: nam si illa daretur in Deo, non esset bona haec illatio Augustini, *Si bona opera dantur à Deo, & se daturum esse praesciunt, profecto praedestinavit*. Unde statim subdit, *Haec dona Dei, si nulla est praedestinatio quam ascendimus, non praesciuntur à Deo*. Id est, nisi in Deo sit decretum, quò bona opera quae ab ipso donantur, praeparat, & praedestinat; illa non praesciuntur à Deo, cum nulla possit esse in illo praescientia bonorum operum, quae non sit innixa decreto, & fundata in praedestinatione voluntatis divinae.

Secunda regula generalis, quam tradidit idem Augustinus cap. 18. ejusdem libri de bono perseverantiae est: *Ubi in Scriptura, vel Sanctis Patribus invenitur nomen praescientiae, & agitur de vocatione electorum, nomine praescientiae debet intelligi praedestinatio: sic enim ibidem loquitur, Deum praedestinasse, est hoc praescisse quod fuerat ipse facturum. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores, legimus Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem praedestinationem intelligere*. Si autem daretur in Deo aliqua praescientia bonorum operum, independentem à decreto, eoque anterior, falsa esset illa regula Augustini, ut constat: unde ipsi Adversarij docent, multa esse à Deo praescita, quae non sunt praedestinata, & praescientiam in Deo latius patere quam praedestinationem: & ad hoc probandum adducunt plura testimonia SS. Patrum, qui Augustinum praecesserunt, quae tamen ipsemet Augustinus exponit, & dicit illos nomine praescientiae intelligere praedestinationem, live praescientiam in decreto & praedestinatione fundatam: non verò praescientiam à decreto independentem, eoque anteriorem. Plura alia Augustini testimonia praetermittit, quae apud Salmanticenses, & Joannem a S. Thoma videri possunt.

## §. II.

Præcluditur aditus evasivibus Adversariorum.

D Vplici evasione conantur Recentiores eludere Augustini testimonia §. praecedenti exposita. In primis aliqui dicunt, quòd quando Augustinus requirit ad praescientiam futurorum, praedestinationem, seu decretum, loquitur de futuris absolutis, non autem de conditionatis. Secundo alij respondent, quòd quando ille rejicit praescientiam futurorum à decreto independentem, eam solum reprobat, quantum ad abusum, & modum illum erroneum, quòd ponebatur à Semipelagianis: quatenus scilicet ex illa dicebant Deo exhiberi idonea motiva praedestinationis.

destinationis & gratia: non autem quantum ad  
 eius essentiam, seu substantiam.

33 Contra primam elusionem est primò, quòd  
 Augustinus locis relatis §. precedenti, agit de  
 illis futuris, de quibus à D. Prospero & Hilario  
 fuerat interrogatus, & de quibus mentionem  
 fecerat in libro de sex questionibus Paganorum:  
 Sed illa, ut ibidem ostendimus, sunt futura  
 conditionata; erat enim ibi quæstio de isto fu-  
 turo, *Si Christus tali tempore, & loco, apud Gentiles  
 predicasset, an illi credidissent, vel non?* Ergo quan-  
 do D. Augustinus requirit ad illorum præscien-  
 tiam prædestinationem, seu decretum, docet  
 præscientiam conditionerum esse in decreto  
 & prædestinatione fundatam.

34 Secundo, Augustinus cap. 10. de prædest. San-  
 ctorum, sic ait: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit  
 quæ fuerat ipse facturus.* Sed quæ Deus fuerat fa-  
 cturus, non sunt absolute sed conditionate futu-  
 ra: absolute enim futura, Deus absolute fa-  
 cturus est, non verò facturus fuerat. Ergo D.  
 Augustinus intendit, Deum in sua prædestina-  
 tione, seu decreto, cognoscere futura condi-  
 tionata.

35 Tertio, D. Augustinus non solum docet, ad  
 præscientiam futurorum requiri prædestinatio-  
 nem, seu decretum, sed etiam in ipsa prædesti-  
 natione, siue decreto, Deum futura cognosce-  
 re, ut constat ex his verbis: *Prædestinatione suâ  
 quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.*  
 Sed hoc non potest verificari de futuris etiam  
 absolutis, in sententia Adversariorum: licet  
 enim quidam ex illis velint præscientiam abso-  
 lutorum supponere decretum absolutum, ne-  
 gant tamen eam in illo fundari, & Deum in tali  
 decreto futura absoluta cognoscere; sed in eo-  
 rum veritate objectiva, vel in causis secundis à  
 Deo comprehensis, aut in aliis mediis supra  
 disp. 4. à nobis impugnatis: Ergo illi longis-  
 sime ab Augustino distant.

36 Quarto, Dato & non concessio, quòd ibidem  
 Augustinus loqueretur tantum de futuris abso-  
 lutiis, & non de conditionatis: hoc ipso tamen  
 quòd docet, illorum præscientiam esse in præ-  
 destinatione seu decreto fundatam, omnino  
 excludit scientiam mediam, & id ipsum de fu-  
 turis conditionatis fateatur. Nam si futura ab-  
 soluta in decreto cognoscantur à Deo, necessa-  
 rio dicendum est, illud esse infallibiliter & ab  
 intrinseco cum illis connexionem & proinde de se  
 efficax, & causans determinationem voluntatis  
 humanæ; si enim esset purè indifferens, & ex-  
 pectans determinationem à libero arbitrio, non  
 posset esse medium, conducens ad certam &  
 infallibilem, nostrorum actuum liberorum cog-  
 nitionem; ut supra ostensum est, & ipsi Adver-  
 sarii fatentur. Dato autem decretum ab intrin-  
 seco efficax, nostras actiones liberas prævenire,  
 & causare determinationem voluntatis huma-  
 næ; penitus evanescit & de medio tollitur  
 scientia media, quæ (ut profitentur ejus Defen-  
 sores) coherere non potest, nisi cum decreto  
 indifferenti & determinabili à voluntate crea-  
 ta, quantum ad speciem actûs: Ergo &c.

37 Quinto, Si futura absoluta cognoscit Deus in  
 sua prædestinatione, ut aperte Augustinus fate-  
 tur, est propter dependentiam quam habent ab  
 illa: Sed ab eisdem causis in statu conditionato  
 dependent futura conditionata, à quibus in sta-  
 tu absoluto dependent futura absoluta: Ergo  
 scit illa videt in suo decreto efficaci, sic etiam  
 Tom. I.

A hæc in sua prædestinatione cognoscit.

Sextò, Sic comparatur promissio conditio-  
 nata, ad conditionerum decretum, sicut absolu-  
 ta, ad absolutum: Ergo si ex Augustino supra  
 relato, quidquid Deus absolute promittit, de  
 sua prædestinatione absoluta promittit, & con-  
 sequenter in illa cognoscit; etiam quidquid  
 conditionate promittit, de sua prædestinatione  
 conditionata promittit, & in ea illud cogno-  
 scit.

Denique, non est cur diutius ad hoc immore-  
 mur, & amplius laboremus ad demonstrandum,  
 Augustinum locis citatis loqui de futuris condi-  
 tionatis, cum P. Annatus hoc tandem fateri co-  
 actus fuerit epilogo libri supra citati num. 13.  
 ubi ait: *Augustinum illis verbis, Vtrum illos præ-  
 scierit tantum, aut prædestinaverit creaturas, intel-  
 ligere prædestinationem, non quæ precedat, sed quæ  
 accedat ad præscientiam fidei conditionate future,*  
 evertens aut retractans quidquid supra ad argu-  
 menta Salmanticenium, & Joannis à S. Thoma  
 responderat, ut rectè observavit P. Baronius, li-  
 bro de libertate humana, & gratia divina.

Secunda evasio Adversariorum confutata  
 manet ex dictis §. precedenti, ibi enim fuse  
 ostendimus, Augustinum reprobasse scientiam  
 mediam, non solum quantum ad abusum, & mo-  
 dum illum erroneum, quo ponebatur à Semipe-  
 lagianis; sed etiam quantum ad substantiam:  
 Tum quia Augustinus locis citatis expressè re-  
 jicit omnem præscientiam à decreto independen-  
 tem, & expressè docet quòd Deus præde-  
 stinatione suâ omnia bona opera nostra præsci-  
 vit, & quòd si ea præscivit, profecto & præde-  
 stinavit. Tum etiam, quia, ut ibidem arguebamus,  
 Augustinus reprobavit præscientiam futu-  
 rorum conditionerum à decreto independen-  
 tem, eo modo quòd illam tradiderat in li-  
 bro de sex questionibus Paganorum, ut asse-  
 rit D. Thomas 3. p. quæst. 1. art. 5. ad 2. cujus  
 verba supra retulimus: Sed Augustinus in li-  
 bro illo de sex questionibus Paganorum, ta-  
 lem præscientiam tradiderat solum quantum  
 ad substantiam, & non cum eo abusu, & modo  
 erroneo, quòd ponebatur à Semipelagianis: ibi  
 enim non dixerat quòd tali præscientia exhi-  
 beret Deo congrua motiva ad gratiam, sed so-  
 lum quòd Christus tunc hominibus voluit ap-  
 parere, quando & ubi sciebat, qui in eum fue-  
 rant credituri: Ergo ille reprobavit scientiam  
 mediam, non solum quantum ad abusum, &  
 modum erroneum, quòd ponebatur à Semipe-  
 lagianis, sed etiam quantum ad ejus substantiam,  
 & prout modò ponitur à Recentioribus.

Addo quòd, idem S. Doctor præscientiam fu-  
 turorum à decreto independentem, quam Pela-  
 giani & Semipelagiani in Deo fingebant, ex du-  
 plici capite impugnât: primò quia propter  
 bona vel mala opera sub conditione futura,  
 nunquam tamen in ipsâ ponenda, Deus nemi-  
 nem præmiat aut punit; secundo, quia ante de-  
 cretum, prædestinationem, seu prædefinitio-  
 nem divinæ voluntatis, nihil est futurum: Ergo  
 reprobât scientiam mediam, non solum  
 quantum ad abusum, sed etiam quantum ad  
 substantiam. Consequentia manifesta est: An-  
 tecedens etiam quoad primam partem patet ex  
 libro de prædestinatione Sanctorum cap. 13.  
 ubi S. Augustinus commentum illud Semipe-  
 lagianorum, ad præscientiam futurorum con-  
 ditionerum concurrentium, ut eâ redderent

38

39

Diff. 2.  
 sect. 2.  
 §. 3.1  
 40

41

rationem, cur Deus aliquos parvulos reprobet, non verò alios satis demereri non potest: Iudicari autem quemquam (inquit) non secundum merita quae habuit, quando fuit in corpore, sed secundum merita quae fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore, unde opinari poterunt homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestra indicant littera (Prosperum & Hilarium alloquitur, respondens ipsorum epistolis) & mirans, & stupens reperiri non possum, nec credere non audeam, nisi vobis non credere non audeam. Et libro de anima & eius origine sic discurret: Si peccata, quae si homo viveret commissurus esset, etiam non commissum damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum est illi, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius: quandoquidem iudicabitur secundum eam quae in illo fuerat futura malitiam, non secundum eam quae in illo inventa est innocentiam, de nullo mortuo baptizato (etiam parvulo) poterit esse securitas; quia & post baptismum, non qualitercunque peccare, verum etiam apostatate homines possunt. Quid si ergo qui baptizatus hinc raptus est, apostata erat futurus, si viveret? nullum ne illi beneficium putabimus esse collatum, quod raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; & propter Dei praescientiam, non sicut fidele membrum Christi, sed sicut apostatam iudicandum esse censebimus? Quando enim melius si peccata nondum facta, nondum cognita, sed praecognita & futura puniuntur, proficere illi duo de paradiso ante peccatum, ne in loco sancto & beatifico peccarent?

42. Quoad secundam vero partem, nempe quod D. Augustinus impugnaverit etiam sententiam horum haereticorum ex alio capite, nempe ex eo quod ante divinum decretum, nihil habet rationem futuri, etiam sub conditione, probatur ex variis ejus testimoniis. In primis enim S. Doctor de praedestinatione Sanctorum cap. 14. contra praedictos haereticos disputans, & explicans illud Sapient. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, ait: Dicitur est secundum pericula vitae huius, non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est quod ei mortem immaturam erat praestiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. Ubi duo in hoc testimonio involuntur, nimirum quod immatura morte ille esset rapiendus, ut tentationum subtraheretur periculis, & quod si ille diutius maneret in hac vita, in peccatum laboraretur; & de primo asserit Deum habere praescientiam, quia posito decreto, talis effectus revera futurus erat, non verò de secundo, quia cum de illo Deus nullum haberet decretum, non erat futurum. Unde concludit: Hoc praescivit quod futurum erat, non quod futurum non erat. Deinde lib. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 7. adducens exemplum de duobus parvulis, quorum unus cum baptismo, & alter sine baptismo moritur, subdit: Quomodo praescivit ea futura, quae illis in infantia morituris, quia praescientia ejus falli non potest, praescivit potius non futura? Ubi praescientiam conditionatam ante efficaciam divinae voluntatis decretum, quam Semipelagiani admittebant, non impugnat ex eo quod bonis vel malis operibus, per eam sub conditione praevias, Deus puniat, vel praemium largiatur, sed ex eo quod scientia divina falli non potest, & praescire aliquid futurum quod revera futurum non est, ante decretum & praedestinationem divinae

A voluntatis. Simili discursu utitur lib. 1. de anima cap. 12. dicens: Ipsa exinanitur omnino praescientia, si quod praescitur non erit. Quomodo enim recte dicitur praesciri futurum, quod non est futurum? Prosper etiam in Epist. ad Augustinum, eundem Massiliensium errorem confutans, sic ait: Praeterita quae non extant, futura quae non sunt futura consingunt, novoque apud illos absurditate genere, & non agenda praeserta sunt, & praeserta non acta sunt.

Ex his in favorem nostrae conclusionis haec ratio formari potest. Destructo objecto alicujus scientiae, destruitur & ipsa scientia, quantum ad substantiam: Sed D. Augustinus objectum scientiae mediae destruit: Ergo & talem scientiam quantum ad substantiam reprobatur. Major patet, Minor probatur. Objectum scientiae mediae est futurum conditionatum, ut cognoscibile à Deo ante decretum, & praedestinationem suae voluntatis: Sed ex Augustino nullum datur futurum, etiam conditionatum, ante decretum & determinationem voluntatis divinae: Ergo ex Augustino non datur objectum scientiae mediae. Major est evidens, Minor verò probata manet ex dictis: Augustinus enim loci citatis expressè docet futura quae Pelagiani fingebant, quae conditionata erant, ut ex supra dictis patet, revera non esse futura, quia nimirum illi volebant ea esse futura ante decretum & praedestinationem divinae voluntatis, quae est prima radix futuritionis & contingentiae rerum, existimabant enim opera nostra non fore libera, si decretum Dei efficacius illa praecederet, & si divina constitutio humanas praeveneret voluntates, ut refert S. Prosper, supra relatus, in Epistola ad Augustinum.

Confirmatur ex eodem S. Doctore Tractatu 68. in Joan. ubi explicans haec verba Isaia 45. v. 11. Hac dicit Dominus Sanctus Israel, plastes ejus: ventura interrogate me, legit secundum aliam translationem: Quis fecit quae futura sunt, & subdit: Non enim ait qui facturus est quae futura sunt, sed qui fecit quae futura sunt; Ergo & fecit ea, & facturus est ea: nam neque facta sunt, si ipse non fecit, neque futura sunt, si ipse non fecerit: Quibus verbis expressè docet Deum facere futura, ea praedestinando, seu praedefiniendo, subindeque divinae voluntatis decretum & praedestinationem, esse radicem totius futuritionis, atque adeo nihil posse concipi ut futurum, sive absolute, sive conditionate, in signo rationis illam antecedente. Unde in libro de bono persever. cap. 17. in fine, loquens de initio fidei nostrae, & aliis operibus bonis ad salutem aeternam conducentibus, sic concludit: Si nulla est praedestinatio quam defendimus, non praesciuntur à Deo, & ibidem saepe repetit, Si Deus bona opera praescivit, profectò praedestinavit; quae verò non praedestinavit bona, non praescivit. Et libro 26. contra Faustum cap. 4. reddens rationem cur nesciat an aliquid sit futurum, ait: Ideo nescio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas, me latet: illud me tamen non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet. Quibus verbis omne genus futurorum à divinae voluntatis decreto pendere statuit. Quare immediate antea dixerat: Illud sanè scimus, hoc de Elia factum, quod Dei voluntas habet; quod autem Dei voluntas non habet, fieri de quoquam omnino non posse. Ergo Sanctus Doctor aperte rejicit scientiam mediam, quantum ad substantiam, & non solum abusum illius. Confir-

45 Confirmatur amplius: Augustinus tria passim A docet quæ generatim scientia mediæ repugnant. Primum est, gratiam efficacem desumere vim suam ab omnipotentissima Dei voluntate. Secundum, res dici & esse futuras à priori, quòd à Deo sciuntur. Tertium, Deam cognoscere creaturas in sua essentia, ut in causa. Quæ omnia negant Adversarij, quòd videat cum nullo illorum seorsim, multò minus cum his tribus conjunctim, stare posse scientiam mediæ, quam à principiis omnino contrariis desumunt. Ergo S. Doctor rejicit scientiam mediæ, quantum ad substantiam, & non solum quoad abusum, & modum illum erroneum, quòd ponebatur à Semipelagianis. Consequentia manifesta est, Antecedens verò, quoad secundam & tertiam partem, disp. 2. art. 1. & disp. 3. art. 4. ostensum est, & quantum ad primam, fusè Tractatu sequenti disp. 5. demonstrabitur, agendo de efficacia voluntatis divinæ.

## §. III.

## Quid de D. Thomæ?

46 IN omnibus semper Augustino adhæsit fidelissimus ejus discipulus D. Thomæ; quare non potuit ei placere scientia mediæ, si Augustino displiceret; nec ab illo approbari, si ab isto fuerit reprobata. Placet tamen hic breviter ostendere, quantum à doctrinæ D. Thomæ principiis talis scientia abhorreat, & quàm longè ab ea distent Defensores illius: non enim melius mens S. Doctoris inquiri potest, quam ex principiis communibus, toti ejus doctrinæ connexis, cum nulli hanc quaestionem ex professo pertractaverit. Unde,

Dico secundò: scientiam mediæ pluribus principiis doctrinæ D. Thomæ apartissimè repugnare.

Probatu conclusio multipliciter, exponendo scilicet plura principia doctrinæ D. Thomæ, quæ manifestè repugnant scientiæ mediæ, & ex quibus evidenti illatione sequitur ejus destructio.

47 In primis evidens est, scientiam mediæ, non posse stare, destructo ejus objecto: Sed D. Thomæ destruit objectum scientiæ mediæ: Ergo & ipsam scientiam. Minor probatur: Objectum scientiæ mediæ, est veritas objectiva propositionum contradicentium de futuro contingenti ante decretum, ut docent ejus assertores: Sed hanc veritatem objectivam excludit S. Doctor variis in locis supra relatis, quibus docet contradictoriis de futuro contingenti nullam inesfæ determinatam veritatem non solum quoad nos, sed etiam quoad se: nam lect. 13. super cap. 8. libri Perihem. negat hujusmodi contradictoriis veritatem, quia futurum contingens non habet esse determinatum in suis causis liberis. Et in 1. sent. dist. 38. quaest. 1. art. 5. ad 2. ait: Futurum contingens non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causas determinatas.

48 Confirmatur: Idem S. Doctor 1. p. quaest. 16. art. 7. ad 3. hæc scribit: Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret, unde sublatà causâ non esset futurum illud fieri: sola autem prima causa est æterna; unde ex hoc non sequitur, quòd ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura; quaquidem causa solus est Deus. Atqui

non fuerunt futura in causa sempiterna inde sumpta, sed per decretum determinata: Ergo ante illud decretum, D. Thomæ nullam agnoscit veritatem in futuris contingentibus, ac proinde tollit objectum scientiæ mediæ.

Secundò, Unum ex principiis quod D. Thomæ frequenter usurpat, est Deum non cognoscere res immediatè in seipsis; sed solum in seipso, & in sua essentia tanquam in causa, & medio prius cognito. Ita expressè docet hic art. 5. in corpore, quod his verbis concludit: Sic igitur dicendum est, quòd Deus seipsum videt in seipso, alia autem à se videt, non in ipsis, sed in seipso. Idem repetit in responsione ad primum. Item 1. contra Gentes, cap. 49. probat ex Dionysio, Deum omnia cognoscere in sua essentia tanquam in causa. Et cap. 65. ratione 5. Cognitio (inquit) Dei est de rebus omnibus per causam: se enim cognoscendo quis est omnium causa, alia quasi suos effectus cognoscit. Quod cap. 67. extendit ad futura contingentia, & cap. 68. ad actus liberos nostræ voluntatis, ut ibidem videri potest. Ex hoc autem principio sequitur manifestè destructio scientiæ mediæ, cum enim essentia divina non sit causa rerum ad extra, nisi ut habet adjunctam voluntatem, & nisi ut determinata per decretum: eò quòd Deus non sit agens ad extra per modum naturæ, sed per modum liberi: si in illa tanquam in causa, & medio prius cognito, futura contingentia & libera cognoscit; evidens est illa non posse cognoscere antecedenter ad decretum, per scientiam mediæ.

Tertium principium doctrinæ D. Thomæ est, rem esse futuram, esse denominationem extrinsecam, sumptam à preparatione, ordinatione, & determinatione causarum ad illius productionem. Ita docet quaest. 2. de veritate art. 12. in corp. & ad 7. & in 1. dist. 38. quaest. 1. art. 5. ad 3. Ex quo etiam principio solvitur omnis scientia mediæ, cum ex illo evidenter sequatur, nullum contingens esse determinatè futurum, absolute, vel conditionate, independentè à decreto, & ordinatione, vel determinatione causæ primæ, ut constabit ex infra dicendis, demonstrando impossibilitatem hujus scientiæ.

Quartò, D. Thomæ docet scientiam Dei esse priorem rebus, nec ab illis mensurari, quantum ad veritatem, & certitudinem; sed potius esse illarum regulam, & mensuram, ut videri potest in hac quaest. art. 8. ad 3. ubi ait: Sicut sibi ha naturalia sunt priora scientiâ nostrâ, & mensura ejus; ita scientia Dei est prior quàm res naturales, & mensura ipsarum. Et 1. 2. quaest. 93. art. 1. ad 3. Ratio intellectus divini aliter se habet ad res, quàm ratio humani intellectus. Intellectus enim humanus est mensuratus à rebus, ut scilicet conceptus hominis non sit verus propter seipsum, sed dicitur verus ex hoc quòd consonat rebus. Intellectus verò divinus est mensura rerum, quia unaquæque res in tantum habet de veritate, in quantum imitatur intellectum divinum. Sed cum hoc principio non posse stare scientiam mediæ, evidens est, quia talis scientia non est regula, & mensura certitudinis, & veritatis quæ est in rebus futuris; sed potius earum futuritionem, ac veritatem objectivam supponit, eamque tantum speculatur, & explorat: Ergo scientia mediæ principiis doctrinæ D. Thomæ repugnat.

Quintò, Constat ex pluribus testimoniis dist. 4. art. 6. §. 2. adductis, D. Thomæ docere præscientiam futurorum, saltem absolutorum, esse